



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Quoad peccatum n. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

CAPVT II.

De obligationibus Capellani,
vel Sacerdotis in celebran-
dis Missis.

I. **Q**uoniam non omnia, quæ ad obligationes Missarum pertinent, explicare in prædictis Decretis Sacræ Congregationi propositum fuit, unde nec nos eadem interpretantes, in medium afferre universa potuimus, nonnulla, quæ supersunt, breviter in sequentibus exhibere, operæ pretium erit.

§. I.

De loco, ubi celebrare quis tenetur.

Quoad peccatum.

1. **P**RO hac re duas regulas præ oculis habe. Regula prima.
Quando

Quando a Fundator, vel quicumq;
Missas, elargita stipe, postulat, eli-
git talem Ecclesiam, Capellum, al-
tate v.g. privilegium, principaliter,
ut ibi Præsentia, seu Officiatura
Missæ adsit, peccatum est ex genere
suo mortale alibi celebrare.

Regula Secunda. a Quando vero
principalis finis fuit velle Missæ ap-
plicationem, non est peccatum
mortale alibi celebrare, immo ne
veniale quidem, quando constat
non curari, nisi de Applicatione.
Ratio prioris Regulæ est, quia tunc
fit contra mentem erogantis elee-
mosynam. Ratio posterioris est,
quia cum Sacrificium sit, in quo-
cumque loco, ejusdem valoris, con-
tra disponentis mentem, saltem, in
re gravi, nequaquam fit.

Qua ratione constare possit ex-
poscentes Missas, Præsentiam, non
vero Applicationem, vel contra in-
tendisse diximus supra cap. I. §. 3. à
num. 15.

2. Dixi

ibidem.

2. Dixi autem in prima Regula ex genere suo, nam dari hac in re parvitatem materiae, unde solum venialiter peccari posse, non est ambigendum. Certè Capellanus obligatus toto anno Missam quotidianam in certo Altari celebrare, si bis, vel ter in anno ibi non celebret, excusant à mortali propter parvitatem materiae communiter Doctores. Ego certè, si uno, vel alterno die feriato singulis mensibus alibi quis celebraret, non judicarem in gravi materia delinquere. Obligatum celebrare in Altari privilegiato, si alibi celebret, facilius attingere posse gravitatem materiae, quam obligatum in communibus Altaribus, ipsa naturalis ratio dicit, quia nimirum ibi magis inviti sunt Fideles, quam hic.

3. Excusat item facilius, & merito Delugo *b* celebrantem in alio Altari,

a Dian. p. 2. tract. 14. res. 29. b Delugo de Euch. disp. 21. sect. 2. n. 36.

Altari, quam in designato, sed in eadem Ecclesia, quam celebrantem in alia Ecclesia à designata: quia scilicet tunc minus receditur à voluntate Missam exposcentis.

4. Notatque ibidem Delugo, Capellanum quotidianæ Missæ ex rationabili causa celebrare raro alibi quam in loco designato, neque esse veniale, quia non censetur Fundator cum tanto rigore suum Capellanum obligare voluisse.

Illud non est omittendum, si constet Missas esse assignatas in tali loco, ut frequens populus audiat Sacrum, contingat autem nullos, aut vix paucos ad Missam accedere, posse alibi celebrare, nisi aliud expressum in Fundatore Missæ sit.

Ratio est, quia cessante causa, præsumitur Fundator vel-
le, ut cesset ef-
fectus.

Ty

Quoad